



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XLV. De Authore Librorum de Imitatione Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XLV.

D E

## *Authore Librorum de Imitatione Christi.*

**L**ibri, qui ab inscriptione primi capituli titulum traxerunt. *De imitatione Christi*, mole quidem exigui: sed fama & usu summam præ cæteris æstimationem & totius Christiani Orbis approbationem obtinuerunt. Nullus liber tam crebro excusus, nullus tam cupidè expetitus, lectitatus à Proceribus, Medioximis, infimis, religiosis ac sæcularibus, quàm hi Libri De imitatione Christi. Probantur ab omnibus, profunt singulis proficere volentibus, intelliguntur à quibuscunque legentibus, proinde in cunctorum ferè versantur manibus; in omnes pæne linguas conversi; visi etiam inter Codices, quos Mauritanæ Rex religiosè selectos conservabat, præ cæteris chari. Apud heterodoxos quoque in pretio sunt; quibus nostra Ascetica aliàs non adeo placent: hosce equidem Libros (quartum demunt) multum æstimant, ac veluti pietatis myrothecium, nunquam è manibus deponendum, commendant; quorum admirandam venustatem, in stylo simplici latentem, dictionem pressam, sententiarum pondus, & mi-

cantes devotionis scintillas, magnam movendi energiam mystici deprædicant, ac omnibus anteferunt veteribus. Adeoque mirum videri non debet, quod variæ Nationes, diversorum Ordinum alumni hanc sibi vindicare velint palmam; dum ejusdem regionis, aut professionis suæ horum Librorum constituunt authorem: licet aliàs parum interlit, nec res digna, quæ eruditos fatiget studio, aut inquisitione minùs necessaria à melioribus, magisque proficiis abstrahat occupationibus, Nihilominus ut palæstritas seu luctatores in arena invicem, populi delectandi causâ commissos, olim spectare volupè erat, sic hosce viros, plurimum quàm quinquaginta tractatum, aliorumvè amœbæorum editione, salva charitate, colluctantes observare, si non admodum videatur proficuum, minimè tamen injucundum erit.

Priusquam verò instituaturs conflictus aut ordinetur acies; non abs re erit eorum exhibere protocollum, quæ hoc in negotio peracta sunt. E quibus videre licet, quemadmodum Tyria matia concitata sint in hac

CONTRO-



Controversia : neque futura malitia sit, nisi imperante illius Vicario, qui imperavit venis & mari; & facta est tranquillitas magna.

Prioribus sæculis Libri de imitatione Christi passim editi fuerunt sub nomine Thomæ de Kempis, qui à natali solo sic dictus (Kempen enim oppidum Ditionis Colonienfis) aliàs vocatus fuit Hemmerlein, id est, Malleolus, Canonicus Regularis S. Augustini in vicinia Swollis Diocesis Ultrajectensis, Congregationis Windesheimensis, obiit Anno 1471. die 25. Julii, nonagenario major, professionis 55.

Anno Autem 1604. Petrus Manriquez Hispanus in Libro quodam de pœnitentia, hispanicè edito (huic tamen multi à Josepho Creswello Anglo Societ. JESU, aut à Guilielmo Bartheo Hiberno ejusdem Societatis conscriptum autumant) omnium primus fuisse videtur, qui negavit Thomam Kempensem esse horum Librorum Authorem, ex eo potissimum capite, quod S. Bonaventura qui obiit 1274. in suis collationibus eorundem Librorum meminerit: quo opinamento alii deinceps Hispani quidam sunt imbuti. Neque multò post Gallia Gersonis nomine sibi Libros illos vindicare conata fuit. Ast, obstetricantibus Patribus Benedictinis, Italia fœrum esse suum voluit pronatum à Joanne Gersen de Canabaco Ordinis S. Benedicti Abbate Verecellensi, qui claruisset initio sæculi decimi tertii.

Sunt, qui eosdem Libros S. Bernardo Abbati Claravallenti adscribant. S. Brunonis Allectæ primùm ex quodam Carthusia prodisse, ut sibi, sic aliis persuasum esse voluerunt, quod in Archivo Carthusiæ, in Provincia Cenomanensi, reperitur Liber primus de *imitat. Chr.* in ejus calce legitur. *Explicit Liber Dei, qui nuncupatur. QUI SEQUITUR ME, quem composuit quidam religiosus Ord. Carthusianorum pro omnibus religiosis & presbyteris Deo devotis.*

Is verò religiosus putatur Joani. Pomerii; quia in fine tractatus assuti præfato Libro legitur scriptum. *Per Fr. Joan. Pomerii Ao. 1460.* notatur autem in registro Gen. Capituli Anno 1476. celebrati; idem Pomerii professus domus Parci. Deinde in quadam Epistola Anno 1655. ex ea domo ad Augustinum Vincentium Carthusianum Rothomag. literatissimum perhibetur; quod tractatus de *imitat. Christ.* titulum præferat. *Liber optimus qui nuncupatur, QUI SEQUITUR ME.* quodque sit divisus in 35. cap. quæ reperiuntur in duobus Libris sicut nunc eduntur. In Flandria verò, Carthusia de la Chapelle asservat tractatus, quos composuit Henr. de Calcaria Colonienfis Carthus. qui obiit circa annum 1408. & inter ejus MSS. reperiuntur Libri tres de *imitat. Chr.* sub nomine cujusdam Carthusiani Anonymi. In quodam etiam vetusto Codice de *imit. Chr.* legitur nomen Ludolphi Saxonis Carthus. Argentoratensis, qui floruit circa Anno D. 1330. Interim hi religiosissimi Ascetæ in solitudine tranquillitatis amantes, malunt studere eorum executioni, quæ in his Libris continentur, quàm turbæ sese immiscendo, de eorum Authore litigare: nec est quispiam, qui pro ipsis in arenam descendat. Alii suæ causæ dissidentes

*Arca jam lasso meditantur cedere campis.*

Sic, ut soli Benedictini & Canonici Regulares de palma certent; inter quos diu disceptatum fuit acriter aculeatque apicibus.

*Concertant linguis, chartis; oriturque duellum:*

*Stant pugiles, ineunt mente manusque simul.*

Henricus Sommalus, Soc. JESU, initio sæculi prioris, libros hos ad authographum Thom. de Kemp. Antwerpæ reservatum; ediderat, quando Rosignolus Soc. JESU

Yyy 3



MS. Collegii Aronensis evincere voluit Authorem Librorum 4. *de imit. Christi* esse Joannem Geslen seu G. ssen; cui sese opposuit Heribertus Rosweidus, ejusdem Soc. Epistola edita Anno 1615. Anno sequenti Constantinus Cajetanus. O. S. B. Congr. Cassin. Abbas S. Baronti recudi fecit libros illos sub nomine Joan. Geslen O. S. B. addita Dissertatione, qua librum S. Bonaventurae à Rosweido in dubium vocatum, giganteis conatibus eidem attribuere satagit: atque Codicem Aronensem achilleum censet. Sed Anno 1617. Rosweidus evulgavit *Vindicias Kempenses* Paulo V. dicatas, quas Egbertus Spitholdius Can. Antwerp. judicat strenuissimas, quibus pro virili Antagonistam oppugnat. Hic animosior factus anno proximo Apologiam pro Joan. Geslen Parisiis edidit, cujus tamen Authorem alii Angelum Grisolerum suspicantur. Post annos 8. Rosweidus, nolens prælo præliovè ulterius super sedere, novam curavit librorum Editionem, quasi lilloga munitam, ac, arbitro Bollandi, satis valido veritatis, se ipsam tuentis, patrocinio tutam, quam Editionem idem Bollandus recudi fecit Anno 1630. 1634 & 1643. Interea Franc. Valgravius, Anglus. O. S. B. aliam Editionem Parisiis apud Henæum procuravit cum animadversionibus Apologeticis pro Joan. Geslen. Has animadversiones Joan. Fronto Can. Regul. S. Genovesæ Parisiis Anno 1641. sua Dissertatione enervare molitus fuit. Quo Anno etiam Simon Werlinus, Canonix Diessensis in Bavaria Præpositus contra eundem Valgravius calamum strinxit. Eodem tempore Philippus Chiffetius Balernæ Abbas, & Ecclesiæ Metropolitanæ Vefontinæ Canonicus Capitularis sua Scripta evulgavit ad asserendum hoc opus Thomæ Kempensi, velut legitimo tuo parenti & Authori. Anno 1644. Cajetanus, velut ex pugna validior, cum nova Operis impressione Romana pro Joanne Geslenio de Canabaco Apologiam denuo in

lucem misit, quam elumbem reddere natus est citatus Werlinus libro, qui Anno 1649. prodiit sub titulo. *Rosweidus redivivus, id est Vindicia Vindiciarum*. Prurientem suum interea calamum cohobere noluit Joannes de Launoy, quo causæ Geslenianæ patrocinari voluit, refutatus à P. Hefero, Ingolstadtii edita velitatione prima Kempensi adversus illum.

Ea tempestate accidit (cui bono, dubium esto) ut jussu Cardinalis de Richelieu Libri *de imitatione Christi* in Gallia typis Regiis committerentur: ratus itaque Gregorius Tarrilus, Congregationis S. Mauri Superior, rebus suis multum accedere, si sub Geslenii nomine ederentur, Cardinalem supplicando convenit: atque ad quatuor Manuscriptorum Codicum Romæ existentium fidem provocavit, quibus nomen Geslen præfixum, Cardinalis, ut erat in cunctis circumspicere negotiis, hoc quoque committi voluit oculari inspectioni virorum eruditorum & aliquorum in Dignitate constitutorum; inter hos Cardinalis Bagnii, Gabriel Naudæus Prior Actigeanus, & Florovantes Martinellus ab Ordinis Procuratoribus selecti. Naudæus verò accuratiori oculo hos libros perlustrans, deprehendisse prætendit, quasi libri exhibiti essent corrupti, quod aliis pariter persuasum; qui proinde judicârunt nullum ex tribus MM. SS. & quarto, impresso Veneriis, Causæ Geslenianæ posse obvenire subsidium. Procuratores quidem & Commissarii hac in causa, testimonium exigere statuerant à censoribus: sed minus consultum postea arbitantes, rem silentio presserunt. Ipse tamen Naudæus, ut res erat, fratribus Puteanis, tunc Parisiis commorantibus, indicavit litteris, more recepto, à Vincentio Galeotto, præfati Cardinalis Auditore, confirmatis. Cum hæ litteræ post aliquot annos à Frontone essent publicatæ, Antimachi Naudæum circumdederunt sicut apes, exarserunt sicut ignis in spinis; ipse verè ultus est in eos, non



tanrùm armis litterariis ; sed ad iudicem competentem causam detulit. Dum enim Robertus Quatremarius , Congregationis S. Mauri Monachus, in responsione ad Frontonis Dissertationem, Naudæum perfidiæ in examinandis, & tractandis codicibus, sibi bona fide conceditis, arguere ausus fuisset ; idemque in simili responsione Valgravius attentasset, ac si codices, ad perlustrandum à Constantino Cajetano commodatos, depravasset ; is telum adversus se projectum in monachos retorfit, ac tam hos, quàm Cajetanum severius depexit. Prostant defensionnes ejus, quas Simonius censet non esse ea eruditione atque accuratatione elaboratas, quàm Lector à Naudæo expectasset; nihilominus in tota Urbe Parisiensi plausum tulisse fatetur, quod pro causa iusta scriptæ fuissent. Profectò Naudæus in Judicio, quod Parlamentum vocant, Anno 1652. obtinuit, ut verba contumeliosa in libris adversariorum lituari deberent, Decretumque præterea super libellis oblati per Religiosos Sanctæ Genovæ, & Sancti Victoris, ne liber de imitatione Christi sub nomine Joannis Gerseni, Abbatis Verecellensis, imprimatur; permissumque iis, ut sub nomine Thomæ à Kempis ederent. Quare Canonici Regulares, Authore Desholio, *Triumphum Thomæ de Kempis* atque alium librum Gallicum velut Victores promulgârunt, quibus Pater Delfau Ord. S. Benedicti Dissertationem pro Gersene de iudicio Parisiensi opposuit. Ast causam Canoniceorum Regularium defendendam suscepit Dionysius Petavius, qui, argumento ex Ityli ratione ducto, Thomæ librum asseruit, ac Rosweidum occurrentibus difficultatibus plene satisfecisse arbitratur; quo pariter inductus Bellarminus à contraria sua sententia declinavit. Egregius quoque præ cæteris propugnator hac in causa extitit Thomas Carraeus presbyter Anglus libro, quem inscripsit, *Thomas à seipso restitutus*. Insuper omni certaminis genere Van-

quallius congressus fuit cum Matillacio. Optime quoque de Thomæ Kempensi meriti fuerunt Hæserus editâ Anno 1650. *Dioptriâ*, aliisque deinceps scriptis, uti & Richardus Simonius in *Bibliotheca Critica tom. 1.* ubi exhibet Molineti Dissertationem anecdotam, Benedictinis sanè infestam. Agmen claudit Eusebius Amori Pollingæ Canonicus Regularis, qui Anno 1725. vulgavit librum cuius titulus, *Plena ac succincla informatio de statu totius Controversiæ &c.* Quem Eruditi Lipsienses, in publicis relationibus ordinariis de re Litteraria, virum prudentem, in quo appareat inignis eruditio modestiæ conjuncta, deprædicant.

Neque tamen segniter sese habuisse Antikempenses censendi sunt; qui omnes nervos ea tempestate expediverunt pro Joanne Gessen; scilicet Joannes de Launoy Frontoni respondens, Mabillonius nova exemplaria producens, novaque argumenta promittens, Metzlerus monachus Zwifaltensis, qui libros elegiacè reddidit, Bernardus Pezius, Felix Egger, Monachi Benedictini, suis elucubrationibus causam propugnantes, horumque supadjuva recentissimus Thomas Erhard monachus Wessofontanus.

Porro hujusmodi Eruditorum concertationes Richelio Cardinali ansam præbuerunt, ut nullo addito Authoris nomine, Libros quatuor de imitatione Christi imprimi juberet, quemadmodum in lingua Gallica postmodum etiam evulgati fuere. Veruntamen Patres Benedictini, quos potuerunt, collegerunt Codices vetustos, illosque Archæo, Domino De Lamoignon exhibuerunt, qui tamen unâ cum viris eruditissimis & Critica pollentibus censurâ, nullum exinde præsentantibus obvenire posse subitium. Quare hi Illustrissimum Archi-Episcopum Franciscum Harlaem opportunè conveniunt; eique duodecim Codices manuscriptos antiquos obtulerunt; adhibitis autem in arte versatissimis Carolo Le Cointe Oratori Be-

tullia-



Joanni presbytero, Joann. Bapt. Cotelerio Doctore Sorbonico, Valeſio, Baluzio &c. poſt accuratum examen, Anno milleſimo ſexcentimo ſeptuageſimo primo, die decima quarta Auguſti deciſum fuit, Codices præſentatos à falſi ſuſpicionem immunes; & Pandolironenſem, ſeu Mantuanum, à Nau- dæo in dubium vocatum, eſſe omnino genuinum & ante annos ducentos ſcriptum. Vix evoluta triennio memorati Patres libros quatuor de imitatione Chriſti, præmiſſo nomine Joannis Geſſen recudi fecerunt; quando Pariſienſes delecti Cenſores Codicem Sluſianum, Joannis Gerſoni nomen præferentem, ſatis antiquum judicârunt.

Ne verò Canonici Regulares in hoc negotio Benedictinis impares viderentur, variis conſcriptis Codicibus manuſcriptis, cauſam quoque ad Ephoros detulerunt; quorum ſolemni teſtimonio, viſis & probè examinatis illis Codicibus, Anno milleſimo ſexcentimo octogefimo primo, die quarta Martii pronuntiatum fuit pro Thoma Kempſenſi. At Monachi herbam dare renuentes, Alteſatum Archi-Epiſcopum Pariſienſem denuo interpellârunt, coram quo viri perſpicaciffimi comparentes, poſt biennium reddiderunt teſtimonium in gratiam Patrum Benedictinorum, priori omnino conforme; prout fidem facit publicum hæc de re inſtrumentum.

Tandem Joann. Mabillonius cum ſocio Michaële Germano ex Italia redux Codices quorſdam manuſcriptos attulit; eoſque Criticorum celebriorum ad hanc cauſam diſceptandam Pariſiis congregatorum judicio ſubmiſit, quorum aſſenſione res in favorem dictorum Patrum Benedictinorum, Anno milleſimo ſexcentimo octogefimo ſeptimo, die vigefima octava Julii comprobata fuit, ſicque hi litrem evicerunt, ſi fides habenda Dom. Philippo Le Cerf de La Vieville monacho Congregationis S. Mauri in *Biblioth. Hiſtoric. & Critic. Congreg. S. Mauri* quam typis commiſit Anno. 1726,

Atque ex his ſatis apparet, quæ & quanta alterutrius partis aſſectæ in hac Controverſia moliti fuerint.

*Iliades X.*

*Sed præſtat pugnam committere cominus, ut mox*

*Viri Jupiter eſſe velit laudem dedecusque*

*Perſpicuum ſit.*

Argumenta Patrum Benedictinorum in his præcipuè conſiſtunt.

I. Varii in variis locis extant Codices manuſcripti de Imitatione Chriſti. *Qui ſequitur me*: ipſo Thoma Kempſenſi antiquiores: quod invictum eſt argumentum cum non eſſe horum librorum Authorem.

Fuit à monachis Italicis Melicam allatus codex Anno 1428. ſcriptus, in Canonica Rotenbuechenſi ſuperioris Bavariæ ſervatur pariter codex ſæculo XIV. ſcriptus. In Monafterio Gerardi-Montanæ, quod in Belgio eſt, codex vetuſtiſſimus in membranis aſſervatur, in cujus folio ultimo legitur ſcriptum, *Hic liber conſcriptus fuit à Fratre Ludovico De monte, qui obiit ante annum milleſimum quadringentefimum.* Aronæ ex antiquiſſima Bibliotheca quondam celeberrimæ Abbatia Ord. S. Benedicti ad Lacum Verbanum; à Julio Nigrono Soc. Jeſu præſbytero allatus, viſitur codex pervetuſtus in pergameno ſcriptus, quem Bernardus Roſignolus, ejuſdem Societatis, perluſtravit & Thoma Kempſenſi antiquiorem judicavit. In eo quinquies Joannis Geſſen Abbatis nomen ſcriptum extat. Hic liber à Joanne Mabillonio, unâ cum duobus aliis, ex Italia in Galliam deportatus, à viris in arte Critica; & ſcripturis antiquis, egregiè verſatis non inferior annis trecentis, jam dum ante annos quadraginta æſtimatus fuit. Aſſervantur quoque in Italia ſupparis antiquitatis Codices. Januensis apud S. Catharinam Anno 1501. Venetiis impreſſus, & Joanni Gerſoni Cancellario tributus, ubi ta-  
men



men subscriptio, calamo exarata, & caractere, ferme præ vetustate deleta, sic admodum. *Hunc librum non compilavit Joannes Gerson, sed Dominus Joannes Abbas Verceilensis, ut habetur usque hodie propria manu scriptus in eadem Abbacia.* Codex Mantuanus in Monasterio Padolironensi, Ord. S. Benedicti bis nomen Joannis Gersen exprimit, ut fide publici Notarii perhibetur. In Bibliotheca Cardinalis de Blicia Codex sic inscribitur. *Incipit tractatus Joannis de Canabaco de imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum mundi, & dividitur in quatuor libros.* Mabillonius etiam à Baccino Parmensi Codicem accepit, in cuius fine legitur. *Explicit liber quartus & ultimus Joannis Gersen de Sacram. Altaris.* Item alium ex Bibliotheca Bobiensis, in cuius quarti libri initio præfigitur. *Incipit liber Joannis Gersen cum quanta reverentia &c.* Plures quoque reperiuntur libri de imitatione Christi anonymi; sed vetustate Thomæ manuscriptum excedentes, quales sunt Ochsenhusanus Anno 1427. Wiblingensis 1430. Weingartensis teste Bucelino, ejusdem Monasterii monacho professo, Anno 1433. aliisque 1434. Melicensis in Austria, Caventis, Bihelanus &c. ante Annum 1440. scripti. Demum Codex Claremontanus, à Siemondo, harum rerum, si quis alius, peritissimo, antiquior Thomæ Kempensi iudicatus fuit.

Respondent Kempensistæ, quod hucusque non fuerit ne vel unus Codex productus de imitatione Christi ante virilem Kempensis ætatem scriptus. Melicensis, cum necdum fuerit ostensus, multò minus examinatus, habetur pro confecto, donec in medium proferatur. Rottenbuechensem Codicem achrenum inspexit ad se missum Heferus; reperitque Thomæ Montis S. Agnetis Canonici Regularis nomen in fine scriptum. Eum pariter inspexit Amort, observatque esse scriptum circa Annum 1440. quia alius

tractatus, in illo Codice præcedens, scriptus legitur Anno 1439. Codex Gerardimonensis post Lib. 4. de imit. Christi, continet tractatum de disciplina Claustralium, eadem manu, eodem caractere, & eodem attramento scriptum; & quia subscriptio non ad calcem librorum de imit. Christi: sed ultimo totius folio adjecta est, & tractatus ille, indubitatum opus Thomæ Kempensis; ante Annum 1400. scribi non potuit, infert citatus Heferus, sciolum illum Scriptorem errasse, aut voluisse annos adjicere, quos postea addere aut oblitus fuit aut non potuit. Aro-nensis Codex, iudice Abbate Ortoburano in *Epist. ad Werlinum*, cunctis aliis (omnes vetustos hujus generis à partibus in testimonium vocatos oculis suis se vidisse testatur) præferendus, citimæ tamen est vetustatis; ut observat Rosweidus; quidquid convocati Critici in gratiam interpellantium aliquando censuerint. Fuit is Anno 1379. ab Andrea Majolo Genuesi, Societatem Jesu ingressò, ex domo paterna allatus in ipsum Collegium, quod olim fuit Monasterium Benedictinorum; quemadmodum ipse Majolus Anno 1617 die 28<sup>ta</sup>. Januarii scripto testificatus fuit apud citatum Heferum. In eodem non quinque nomen Gersen: sed, si Constantino fides habenda *semel scriptum Gessen, ter Gersen, & ultimo Gersen*; adeoque ex hac Scriptoris variatione incertum manebit, quis iste Joannes. Verùm, quia iudice Tullio. *In ferendo testimonio, quantacunque alieni sit auctoritas, propter conjunctionem affirmatis minor putanda: major utique erit extra partes politici, testis atque, Eximii P. Censoris, qui Anno 1732. die 22. Octob. Colonia hæc ad me exaravit. Anno 1724. Cum Arona versarer in ea domo, quæ olim Benedictinorum fuit, versavi haud segni manu libellum, qui basis & fundamentum est Cajetani. De eo, si qua mihi veterum notitia est characterum, duo sanctè affirmare possam. Primo characterem libri typographia aut co-*



vum aut recentiore esse; adeoque certo non esse seculi decimi tertii; alterum est, nonnisi ante librum IV. de Sacra Communione Joannis Gessen nomen scriptum; neque ante alios libros idem scripturatum. Unde patet fabellam de Joanne Gersen Vercellensi abbate de Canabaco minime omnium ex Aronensi Codice sustineri posse. Sic, conquassato tibicine, Joannes de Canabaco ruit de anabatro. Ex Januensi Codice, diu post mortem Thomæ impresso, nil confici poterit. Scriptura correctiva impostura creditur ancillantibus nisi Gersenistarum, characterque non præ veritate (quandoquidem prælo recentior) sed ex industria adhibiti atramenti fugacitate ferè deletus est; cujus propria manu sit scriptus liber ille non exprimitur. Si ipsiusmet Vercellensis Abbatis autographum dicatur, non creditur, ne Catoni quidem, nisi probetur. Monasterium Vercellense, ut Cajetanus Resp. Apolog. cap. 9. observat Anno 1512. in Commendam transiit, mox destruetum, & in arcem conversum; ut Bibliotheca amplius non extiterit. Antiquus proinde character adjectus, ut idem Cajetanus censet, non longè post annum hunc exatari debuit; quo nec Monasterium, nec Bibliotheca superstes. Quomodo ergo verificabitur illius anonymi Correctoris testimonium, quod usque huc habeatur in eadem Abbatia liber propria manu scriptus? De Codice Mantuano testatur Notarius, quod à se visus fuerit, in quo bis nomen Gersen: sed quod incorruptus sit, & non ex Gerson, artificio sit Gersen compositum; silentio suppressit; id quod Naudæo procul dubio est; qui alia quam plurima signa in titulo reperit, quæ fraudis & mendacii suspicionem statim injiciunt. Neque etiam Notarius testari voluit, aut potuit, quod Joannes Gersen sit eadem persona cum Joanne de Canabaco. Utrumque esse unum (scribit Werlinus) ut arbor Pinus & Schinus. Daniel 13. Codex in Bibliotheca Bisciana, eidem Cardinali ex

Germania missus, ut perhibuit ex Urbe ad Werlinum Jacobus Qualia, qui sagaciter advertit illud Joannis De Canabaco non in Linea versus: sed supra eam scriptum esse, quasi aliena manu. Ceteri Codices, ut variis sunt, ita variant, ut vel singuli, vel simul sumpti Gerlenianam causam promovere nequeant. Ochsenhusanus; si etiam eodem anno scriptus sit, ectypon est illius, quem scripsit Thomas de Kempis, qui tunc annum ætatis 48. agebat. Certè Romanus de La Haye in Ochsenhusano Monasterio professus in Epistol. ad Antiq. Ord. citat sententiam ex Lib. 1. de imitat. Christi cap. 25. Authorem Thomam de Kempis. Similiter ex Lib. cit. cap. 13. in notissimo Libro, qui titulum præfert. Astrum inextinctum quest. 8. n. 8. Quod de Melicensi Codice præfertur, quasi is esset à Monachis Sublacensibus ex Italia allatus, dum reformationem illius Monasterii Anno 1418. molirentur, fidem non invenit; quidquid Joannes Cellensis, illius loci quondam Prior, & S. T. Doctor id persuasum velit. Quod si Codices à Mabilonio producti cum inscriptione Joannis Gersen simpliciter probent hunc esse libri Authorem, idem probabunt reservati Codices in Carthusiis memoratis, de Henrico Calcarit Ludolpho Sax. Vetus alii Codices allegari plerumquæ continent varios tractatus: inquirendum itaque, an numerus uni præfixus, alteri compacto, scilicet de imitatione Christi temerè imprudenterque non sit affixus. Advertendum etiam num ex ignorantia, seu imperitia literarum, ut vocant Arabicarum, quæ sæculo XV. adhuc in usu erant, putentur Codices illi antiquiores. Quandoquidem verò Thomas Kempensis ex humilitate nullis suis libris nomen suum præfixerit; etiam opusculum de imitatione Christi sic publicatum fuit; eique passim assutum opusculum Joannis Gersonis de Meditatione Cordis. Unde posterius, unum eundemque Authorem tati, etiam de imitatione Christi nomen Joannis



annis Gersonis præfixerunt. Quod etiam factum aliis Scriptoribus frequenter obyenire, bene observat Cardinalis Baronius *Annual. tom. 6. ad Annum 441. num. 7.* tibi Lynceis oculis opus esse asserit, ne quis in hujusmodi decipiatur. Cum ergo in primis Editionibus opusculo *de imitatione Christi* anonymo adjunctus esset Joannis Gersonis *de Medit. cordis* cum hujus nomine; evenit ut alii typographi unico Authori utrumque tribuerent. Sed perspicaciores fuerunt alii in Editione Notibergenli Anno 1491. Parisiensi Anno 1520, & Anno 1521, in quibus typographus adjungit, quod hi libri perperam Magistro Joanni Gerson adscribantur. Item in Antverpiensi Editione Anno 1538. æque ac Anno 1550, apud Joannem Steelsum, error observatus fuit: ubi in fronte sic legitur. *Libellus verè aureus de Christo imitando ex fontibus sacra potissimum scriptura excerptus, Authore D. Thoma de Kempis. Hinc additum est non minus pium quam doctum opusculum Joannis Gersonis de meditatione cordis.* Deinde in secunda pagina. *Dulcissimi ac religiosissimi F. Thoma de Kempis de imitatione Christi libri quatuor plane divini, qui falsè D. Joanni Gersoni, Cancellario Parisiensi vulgo adscribuntur.* Idem iudicium iis, posterioribusque temporibus tulerunt, qui sine partium studio in Authorem librorum *de imitatione Christi* inquisiverunt. Iudicium verò Sirmondi de Claremontensis Codicis vetustate, non officit: siquidem plures alii, inter quos Petavius & Theophilus Raynaudus, experientiâ, solertiâ & eruditione haud inferiores, censuerunt Codicem illum recentiore. Quin ipse Sirmondus in Epistola ad Heferum 1648. in suo iudicio vacillavit, argumenta validiora eo Anno Colonia in Rosveido redivivo edenda pertimescens.

II. Idiotismus, in his Libris observatus, Italum authorem redolet. Tot enim voces in iis occurrunt, ab Italis ad Latinos translatae,

ut Germano adjudicari nequeant. Cumque nullus alius in Italia extiterit, de quo suspicio esse possit, quod hos Libros composuerit: Joanni Gersen, cui, fatentibus ipsis Adversariis, in tota olim Italia illi fuerunt adscripti, manere debent. Inter alias autem quamplurimas voces translatae Italicum idioma spirant. *Importat, simplicatus, Conscientiosus, fontaliter, grossè, passionatus, Licentiatas, querulosus, pulverizari, bassari, contentari, sentiari, sentimenta.* Italicus est, quod legitur *L. 1. cap. 21. Si tu scis homines dimittere: ipsi te dimittent tua facta facere.* Et cap. eodem. *Habeas semper oculum super te primum.* Cap. 22. *Amici Christi non attendunt quæ carni placuerunt.* Cum autem rerum nomina temporum mutatione pariter mutantur; is, qui olim Gersen nuncupatus fuit, post sæcula Gerson & Garson dictus, Italis ex Librorum *de imitatione Christi* notissimus compositione. Hic Canabaco, alias Caballiaco, vulgo Cavagliano, oppido, haud longè Vercellis distante, ortus; ubi etiam nunc hujus nominis incolæ extant; ibique monachus Ord. S. Benedicti, Abbas demum Vercellis ad sanctum Stephanum circa Annum 1220. claruit, hosque Libros composuit.

Respondent Kempenistæ. Nihil repeiri in iis Libris, quod habeat cum Italica lingua aliquid commune. Locutiones vero, quæ pro Italicis venditantur, potius Teuronismos seu Flandrismos censent, de quo prolixius in argumento tertio pro Thoma dissectur. Quantum ad locum originis Joannis Gersen, qui dicitur esse Canabaco, passim negant Geographis notum, ac proinde unquam extitisse. Cajetanus ex Pingonio, Scriptor recentiore, vult idem esse Caballiacum cum Cavallia seu Cavaglia: sed non probat, quod Canabaco sit idem quod utrumque, Cavaglia sæculo 13. aliud nomen non habuit: neque ullus Author ex antiquioribus Canabaco locat in agro Vercellensi, ubi



in Cavallia, cujus nominis immutatio, quando fit facta, refertur à nemine. Porro ipsum nomen *Canabacum* videtur Germanicum quasi *Cana rivus*, quibus oppidis Germania abundat. Quod Joannes ille duplici cognomine vocetur, eum reddidit de suppositione suspectum. Fuit quippe illorum temporum universalis consuetudo, ut locus nativitatis, officium vel professio rationem cognomen haberet, quod certè sæculo 12. & tribus sequentibus fuit observatum, sic ut nullum possit produci exemplum ex illis sæculis, quo quis duplex cognomen habuerit. Præterea notatur, quod Cajetanus in prima Editione Joannem Gessen cognominaverit, & familiam de Gessen, vel de Gessate inter Nobiles Mediolanenses recensitam asserat; sed biennio post in Gessen transformaverit.

III. Monachum fuisse Authorem Librorum *de imitatione Christi*, ex eo liquet, quod ipsemet profiteatur se Monasticam vitam amplexatum fuisse, signanter *Lib. 3. cap. 10.* ubi gratiam agnoscit singularem sibi à Deo exhibitam, quod Monasticam vitam assumpsisset. Et *cap. 56.* Monasticam vitam vocat Crucem de manu Domini susceptam, se & fratres ad eam constanter ferendam exhortatur. Quandoquidem verò integras Periodos ex Regula S. Benedicti suis inseruerit Libris, Authorem hand alium monachum fuisse, quam Ordinis Sancti Benedicti, manifestum evadit. Quod confirmatur tum ex eo, quod Exemplaria antiquissima Abbatem perhibeant; Eo autem tempore, præsertim in Italia, tibi Joannes Gessen vixit; idem prorsus erat Abbas ac Benedictinus: tum quod Vercellis duæ tantum fuerint Abbatia: una sancti Stephani, à S. Mauro, in itinere versus Galliam, fundata: altera Sancti Andreae ab Henrico II. Angliæ Rege sæculo XII. erecta; utraque sub Regula S. Benedicti, cujus, cum primus Abbas fuerit Thomas, Gallus, sæculo illo labente defunctus, utique

Joannes, Thoma senior, Sancti Stephani Abbas extitit.

Pingitur etiam Author Libri in quibusdam vetustioribus manuscriptis Codicibus in habitu monachali Benedictino, quemadmodum in Caveni, eleganter in membranis scripto, exhibetur in Litera prima Q. unde ectypon desumptum, quod modo in plerisque videtur.

Respondent Kempenistæ. Etsi Institutum Canonicorum Regularium & Monachorum ex primæva fundatione & speciali fine sit diversum; nihilominus Canonice Regulares & Monachi in observantia regularis disciplinae conveniunt. Et tam hi, quam illi Religiosi dicuntur, qui, studio Evangelicæ perfectionis à sæculo abstracti, Deo per nuncupationem trium votorum, scilicet Castitatis, Obedientiæ & Paupertatis in communitate, stabiliter vivunt juxta regulam ab Ecclesia approbatam. Adeoque appellatio Monachi Canonice Regulari secundum illud convenit: quemadmodum etiam *Lib. 1. Decretal. tit. 9.* adhibetur. Et ipsorum Canonicorum Regularium domus frequentissimè, tum in jure & regula, tum apud alios Scriptores Monasteria vocantur. Certè hoc in usu Thoma de Kempis illarum nuncupatio familiaris fuit, qui *par. 2. serm. 14. ad Canon. Regul. §. 6.* ait. *Onus Ordinis divinum & Nocturnum collo monachi impostum ostendit &c.* Et *par. 3. serm. 1. Va vagis & dissolutis monachis solo nomine & habitu religiosi &c.* O Religiose monache, & sectator archioris viæ &c. Authorem Librorum *de imitatione Christi* formulas loquendi, & integras sententias ex Regula sancti Benedicti deprompsisse, exemplis nondum sufficienter probatum fuit: nec quod Valgravius in animadvertione Apologiae adduxit. Sunt quidem affines seu textus ex eadem Regula: sed potuit Thomas Kempensis illas accepisse, unde accepit sanctus Benedictus: & hi etiam ex ipsamet Regula excerpti sunt; non tamen ideo dicendus erit professor



professor ejusdem Regulæ. Ipsa Regula Canonicorum Regularium, Aquisgranæ Anno 826. promulgata, verba & sententias continet ex Regula S. Benedicti, non tamen ii Benedictini fuerunt, sed nec proprie Regulares. Quin S. Benedictus ex regula S. Augustini plures sententias in suam transtulisse videtur. Abbatis Titulus Authori controverso frustra ex recentiori, subdolaque manu in uno Codice Veneto conciliatur, nisi testimonio Veterum omni suspitione carentium probetur. Atque etiam Abbas Vercellensis fuisse; ideo Benedictinum fuisse perperam infertur: siquidem in Canonica S. Andree extitisse Abbatem Canonicum regularem ex Bulla Gregorii IX. perspicuum redditur.

Ad picturam præsentam exigua profus habenda reflexio; quandoquidem Librarii ad placitum imagines fingere soleant: & fortè pictura refert speciem Canonici regularis in Cappa choralis, quæ tunc erat, & etiam nunc ahcubi apud Canonicos est in usu.

IV. Librorum *de imitatione Christi* meminerunt quidam Scriptores Thoma Kempensis multo antiquiores. Et quidem S. Thomas Aquinas in Officio Sanctissimi Corporis Christi, à se composito, & ab Ecclesia approbato *ex Libro 4. cap. 13.* mutuatus fuit Antiphonam *ad Magnificat* in Vesperis. *O quam suavis est Domine Spiritus tuus &c.* cum aliis quibusdam in Lectionibus secundi Nocturni. Meminit quoque Libri *de imitatione Christi* sanctus Bonaventura in suis collationibus ad fratres Conventus Tholosani habitis, atque periodum *ex Lib. 1. cap. 25.* decerpit, subjungens. *Ut patet in devoto libello de imitatione Christi.* Atqui uterque obiit Anno 1274. Igitur non potuit Thomas Kempensis, tunc necdum natus, eosdem libros composuisse. Deinde Author illorum *lib. 3. cap. 50.* inducit sanctum Franciscum, ut adhuc viventem, loquentemque his verbis. *Ait humilis S. Franciscus, qui obiit au-*

no 1226. quo tempore in Italia floruit Joannes Geisen.

Responder Rosweidus, eandem Antiphonam Thomam Kempensem ex Officio illo transtulisse in suum librum, nequaquam verò S. Thomam Aquinatem ex libris *de imitatione Christi* accepisse, quæ ibidem integra non est: atque æque minus ex Officio illo, ac Author Libri Sapientiae, qui Salomon probabilis putatur, ex eodem mutuatus fuit verba Antiphonæ *ad Magnificat. O quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus.* Collationes allegatæ post operosam inquisitionem nusquam in ullo Exemplari manuscripto Operum sancti Bonaventuræ extant. Insuper in his citatur Ubertinus, qui Anno 1305. suum opus intra trimestre absolvit; adeoque non sunt S. Bonaventuræ, quidquid contra sentiant Marianus Florentinus, & Lucas Wadingus, qui in hac Controversia suum iudicium suspendit; ac supposito, quod Thomas Kempensis sit Author librorum *de imitatione Christi, Lib. de Script. Ord. Min.* subdit. *Potuit ille ex Bonaventuræ quadam suo argumento accommodata exscribere; & qui legit utrumque annotare in aliquo codice MS. operum Bonaventuræ, hac re ipsa reperiri in Libello de imitatione Christi, potueruntque Nota hæc ex margine in textum irrepisse.*

Potro ex citatis verbis sancti Francisci, sive ait sit in præsentis, sive in præterito tempore, si probetur, quod Author fuerit cœvus Francisci: ex verbis initialibus. *Qui sequitur me non ambulat &c. dicit Dominus:* inferte licebit, quod Christo in terris vivente libet ille sit scriptus.

V. Plurimorum virorum clarissimorum iudicio evincitur, quod Thomas Kempensis non sit Author Librorum quæstionis. Arque in primis Joannes Tithemius Abbas Spanheimensis, quem Piatas vocat accuratum & sedulum Scriptorem, eiusque in discernendis Scriptoribus, horumque Lucubrationibus



prudens iudicium Eruditi suspiciunt, in Catalogo virorum illustrium Germaniæ scribit, Libellum hunc ex testimonio seniorum suorum ab eorum senioribus lectitatum fuisse: non potuit ergo illius Author esse. Thomas Kempensis, quippe Trithemio contemporaneus. Accedit Antonius Posssevinus è Soc. Jesu, ingenio, eruditione, ac præsertim critici in suo insigni Apparatu sacro eminentet pollens, edoctus litteris eidem Apparatu insertis P. Bernardini Rosignoli, libros Thomæ abjudicat. Eum secutus Cardinalis Bellarminus, qui in *Catal. Scrip. Eccles. in Jo. Gerson* subiungit. Et hinc apparet hoc opus (de imitatione Christi) tributum fuisse Joanni Gersoni propter similitudinem nominis: quia verus author erat Joannes Gersen Abbas: Et tamen quia non inveniebatur hoc opus inter opera Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis, tributum fuisse Thomæ à Kempis, ob similitudinem aliquam styli, quamvis neque inter opuscula ejusdem Thomæ inveniretur. Consentiant Socii Julius Nigronus, Jacobus Sirmondus, Josephus Creswellus Anglus, Gulielmus Bateus. Ex Illustrissimo Benedictinorum Ordine Gabriel Buzelinus, Constantinus Cajetanus, Gregorius Abbas Ottenburanus, qui Apologiam scripsit: sed morte præventus non edidit, Marillac, qui libros in Gallicam Linguam convertit. Illustrissimus Dominus de Nueris à Secretis Statûs Regii, Eminentissimus Cardinalis Richelius, Mabilonius, alique plures sapientia conspicui, doctrina celebres atque in re literaria experientissimi, quos omnes aut verum cognoscere noluisse: aut circumventos ignorasse, nemo prudenter credere poterit.

Respondent Thomæ propugnatores, Per exiguam esse horum Scriptorum, salva alias eorum estimatione & famâ, autoritatem, ut iis perperam sentientibus Thomas ex tam diuturna possessione deiciatur; præsertim cum nonnulli eorum in hac censura fluctuent. Trithemius æque in *Catal. Scriptorum*

*Ecclesiast.* Libros quatuor de contemptu mundi, quorum initium. *Qui sequitur me* Thomæ Kempensi adscribit, ac in *Catal. virorum Illustrium German.* Attamen hallucinatur in Notabili; quod duo ferantur hujus fuisse nominis; ambo de Kempis, ambo regulares in monte S. Agnetis, & ambo variacudentes opuscula. Et forsitan primo nonnulla sunt adscripta opuscula, qua secundus fecisse putatur. Libellus autem de imitatione Christi primi fertur authoris, quem ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores, quamvis sciam nonnullos in hac sentire contrarium. Hæc ille, qui in eo quidem aberrasse deprehenditur, quod senioremp Kempensem Thomam vocet, cum Joannes nomen ejus fuerit, Prior Montis S. Agnetis, fratremque Thomam assumpsit ad Ordinem, mortuus æt. 67. annorum, nulla opuscula relinquens; verum autem Authorem librorum quæstionis Thomam de Kempis agnoscit; & quod ait, se scire nonnullos hac in sentire contrarium, non violenta interpretatione intelligendum, quasi, Thomam excluso, de Joanne Gersen ferretur opinio, cuius nec nomen, nec, quod librum scripserit, Trithemius Ordinis S. Benedicti Abbas, & illustrium virorum ejus diligens Collector, alicubi refert: sed quod alii juniorem Thomam putarent scripsisse, quod ipse seniori attribuit. Quæ opinio inde exorta, quod neq ipse, nec alij satis attenderint ad longævam Thomæ vitam, quæ adæquaret civilem duorum hominum ætatem. Et sicut non raro in Notis temporum & Chronotaxi Trithemius Abbas cespitat, ita quoque tum hic, tum alibi in rebus discutiendis major in eo requiritur accuratio. Idem prorsus dicendum de Posssevini Apparatu, si verum sit, quod Richardus Simonius scribit, se in eo plures quam quingentos inanes titulos deprehendisse: quamquam alias Posssevinus libros de imitatione Christi Thomæ manifestè adjudicat in citato Apparatu, in *Gerson* his ver-

bis,



bis. Neque adeo defuerint, qui eidem adscripserint, quæ non censentur esse factus illius, qualis est liber de imitatione Christi, variis jam Linguis editus, cujus fuit auctor Thomas de Kempis.

Cardinalis Bellarminus, re melius inspecta, ab evidentibus Rosveidi demonstrationibus convictus, in 2<sup>da</sup>. Editione à sententia illa recessit, aut saltem rem in medio reliquit; de quo infra latius. Reliquorum, utpote Recentiorum, crisis, aut è partium studio prognata opinio, minoris æstimatur, quam duorum sæculorum pro contrario possessio. Præsertim, quando defuit demonstrationum pondus, & requisita gravitas. Quod, cum hic advertisset sagacissimus Mabillonius, in suo Itinerario Italico promisit, se novis argumentis probaturum Joannem Gerlen esse Authorem librorum de imitatione Christi, quo præstito, plurimum sanè suos sibi devinxisset Synergos.

Qui eisdem libros Thomæ Kempensis asserendos esse prætendunt nihil argumentorum intermittunt, quibus id persuaderi posse credunt, sunt autem hæc.

I. Antwerpæ in Domo professæ Soc. Jesu adservatur Codex in decimo sexto, ut vocant scriptus, qui continet quatuor libros de imitatione Christi, pluribus ejusdem Thomæ Opusculis initio præfixos, in quorum omnium sine rubris literis subscriptum legitur *Finitus & completus Anno Domini MCCCXLI. per manus Thomæ Kempis in monte S. Agnetis prope Svollis*. Alius quoque extat Lovanii, in octavo scriptus Codex, apud Canonicos in valle S. Martini, in quo tres libri de imitatione Christi reperiuntur in medio Opusculorum Thomæ inserti, qui Codex antiquitate non cedit Antwerpensi. Hunc D. Joannes Ulimmerius, illius olim Domus Prior, testatus fuit, se ante annos accepisse à Fratibus Montis S. Agnetis, qui affirmabant eum manu Thomæ à Kempis scriptum, ab eoque compositum, uti per traditionem

continuum à Majoribus suis, ejusdem Monasterii fratribus, acceperant.

Reponunt Gerlenita, quod Thomas Kempensis, ut ipse Rosveidus advertit, ex humilitate nulla scripta sub nomine suo divulgaverit; adeoque citatorum Codicum, quibus nomen suum supposuit, autoritas potius evincit, quod Thomas libros non composuerit, sed eos duntaxat descripserit; quemadmodum in aliis denotatur, quos descripsit. Colonia liquidem in Canonica Corporis Christi asservantur Biblia, quatuor Tomis compacta; ubi in fine primi Voluminis, quo continetur Pentateuchus, sic scribitur, *Finitus & completus Anno Domini MCCCXXXIX. in vigilia S. Jacobi Apostoli per manus fratris Thomæ à Kempis, ad Laudem Dei, in Monte S. Agnetis*. Et in tertio ad extremum libri Machabæorum additur, *Scriptum per manus F. Thomæ à Kempis &c*. Extat quoque in Canonica Lovanienti ad S. Martinum Missarum liber in folio, in cujus ultima pagina rubro caractere est notatum, *Anno Domini MCCCXXIV. per F. Thomam de Kempen*. Sicut ergo Thomas non ideo est Author Pentateuchi, quia ei subscripsit, *Finitus & completus per manus F. Thomæ Kempen*. ita non debet censeri Author librorum de imitatione Christi, quia subscripsit eidem simillimis verbis, *Finitus & completus per manus Thomæ à Kempis*. Adeoque illud, quod Rosveidus in Editione Duacensi Anno 1621. asserit, *Author testatur manu propria se hunc librum composuisse?* falsum est. Aliud quippe est scribi librum manu propria alicujus antiquarii certo anno, aliud componi. Et si Rosveidus mordicus illo anno compositum velit; quia alii Codices reperiuntur antiquiores, necesse est, ut Thomam plagiarum fateatur. Lovanientem Codicem utpote mutilum, imperfectum & achronum nil causæ commodare ajuunt & observantque, quod neque hic Codex, neque alius præferat generalem titulum de imitatione



*tionem Christi*, qualis legitur in Codice Mantuano, item Cavenfi & alijs passim scriptis. Et quidem in Antvverpiensi, ne unus quidem quatuor librorum sic inscriptus est: sed primus. *Incipiunt admonitiones ad spiritualem vitam utiles.* 2<sup>das</sup> *Incipiunt admonitiones ad interiora trahentes.* 3<sup>tius</sup> *Incipit Liber interna consolationis.* 4<sup>tus</sup> *De Sacramento.* Atque ita ante singulos libros, qui scripsit, titulum manu sua notavit.

Hæc gratis opponi autumant Kempenses; & fatentur quidem Thomam Opusculis à se conscriptis, atque à se compositis ex humilitate non præfixisse nomen suum; appuisse tamen aliquando in fine, ut plerique aliena describentes, eo tempore facere solebant. Unde tamen bene inferri negant, quod non sit Author libri, quem sua manu fatetur, se eo anno finivisse. Illud verò quod dicitur de eotypis anonymis, retorquent in Gerseniistas hoc modo. Quod si Joannes Gersen nomen suum authographo apposuisset, in diversas Provincias sine Authoris nomine non pervenissent, nemoque ex ignorantia Gersoni, aut Thomæ Kempensi inscripsisset. Vera autem in scriptis nis erronea causa putatur, quod hi libri, initio typographia inventæ pluries impressi fuerint sine nomine, adjuncto Gersonis libro *de Meditatione cordis* cum nomine Authoris. Qui verò ex illis Editionibus recudebant, alias volentes nomen dare libello primario, accipiebant Gersonis, cujus nomine toties editus est, licet Thomæ nomen in omnibus ferè Exemplaribus MSS. adferberetur. Nomen autem Gersen, sæculo XV. ad finem vergente, ignotum penitus fuit, adeoque Codices, qui nomen illud prænotatum habent, recentiores sunt, ipso etiam Trithemio, cui minime innotuit. Subscriptionem illam evinci, quod Thomas sit Author librorum Kempenses ultro concedunt. Attamen quia is non solum libris illis *de imitatione Christi* subscripsit, *Finitus & completus*, sed toti Codici Opusculo-

rum suorum, quibus hos adjunxit: hinc sicut illa citra dubium ab eo sunt composita, de solis libris *de imitatione Christi* dubitari non poterit. Qui describit aliena pariter que componit propria, nil vetat, quin iterum describat propria, ut sic magis divulgentur, quando, necdum adeo communi typographia, prælo committi poterant.

Sicut ergo ex subscriptione sola non probatur, quod antiquarius fuerit Author; ita neque colligitur, quod fuerit transcriptor, alioquin inferre liceret, quod reliqua Opuscula à Thoma composita, etiam manu propria descripta, & compaginata libris *de imitatione Christi*, non essent illius, quia toti Codici subscripsit *Finitus & completus*. Nil itaque obstare videbitur, quod in alijs allegatis Codicibus, certò tantum descriptis, ejusmodi attestatio deprehendatur. Antvverpiensi, si prototypon esset, & Codices à contraria parte allegati, non corrupti, sed integræ fidei forent, alienus tunc supponeretur Thomæ factus: Verùm & hoc & illud negatur. In Editione Duacensi legitur quidem Thomam Anno 1441. *Composuisse* hos libros: sed quia in Antvverpiensi Anno 1617, & tribus Editionibus subsequenti-bus, non legitur; & ipse Rosvveidus cap. 7. *Vind.* observat, quod tunc quidem Thomas scripserit, fortè autem aliquot annos ante composuerit, aliudque exemplar scripserit; inde suspicio formatur, quod quidam ex Rosvveidi Advertariis vafre induxerit typographum ut pro scripsisse, ut in alijs Editionibus, etiam Sommali habetur, *composuisse* poneret; scilicet, ut antiquiora exemplaria contra Thomam possent produci. Nec huic, nec Lovaniensi multum obesse poterit, quod titulo illo careant *de imitatione Christi*; quæ inscriptio ex Thomæ intentione primo tantum Capiti convenit libri primi, & temporibus subsequenti-bus quatuor libris attributa fuit. Nil enim vetat, ut Libelli materia diverfi, nec inter se mutuo dependentes, notâ numeri



meri Ordinalis primi, secundi, tertii & quarti ab Authore insignentur. Nec etiam officit, quod liber quartus, qui in quamplurimis vetustis MSS. desideratur, in hoc desit; ut enim Ordo, sic numerus cum generali titulo post mortem Authoris coaluit.

II. In variis Bibliothecis varia servantur Exemplaria perantiqua, quæ libris de imitatione Christi nomen Kempensis Thomæ præfixum habent. Ea recententur in tribus vetustis MSS. Catalogis variarum Bibliothecarum Belgii. Qui Lovanii extat apud S. Martinum Anno 1487. conscriptus, recenset Exemplaria in Monasterio Veteris Campi Ord. Cisterciensis, in Gaesdonck, apud S. Catharinam prope Noviomagium & prope Endoviam, in eadem pariter S. Martini Canoniam; cuncta sub nomine Thomæ de Kempis; alia quoque reperiuntur in Monasteriis Rhenobercensi, Maseikensi, præter illa, etiam Thomæ ætate scripta, quæ Albertus Luykenius, Congregationis Windesemensis Generalis, & Joannes Hafius Soc. Jesu per Germaniam Provincialis testantur se in diversis Bibliothecis vidisse. Demum apud Canonicos Regulares Augustæ Vindelico-rum asservatur Codex MS. in 4<sup>to</sup> absolutus, ut in fine additur Anno 1440. 16<sup>ta</sup> Decembris. Ad talem eadem manu additur. *Compilator hujus opusculi fuit quidam Fr. Thomas nomine de Conventu & Ordine Can. Reg. Ordinis S. Augustini Montis S. Agnetis Trajactensis.* Ibidem liber de imitatione sub nomine Thomæ de Kempis prima vice prodit Anno 1472. primo post Authoris obitum, cujus Exemplar in Bibliotheca Fratrum Minorum de Observantia Monachii ostenditur. Postea intra Annos 23. impressi sunt libri de imitatione Christi duodecies, sub nomine Thomæ, in Gallia & Germania; & tamen ne unica quidem Editio sub alio nomine exhiberi poterit. Insuper usque ad Annum 16. sæculi præcedentis producti possunt octoginta Editiones, quæ omnes Thomam

Kempensem pro Authore agnoscunt, referuntque eas Amoit *part. 4.* cum usque ad illud tempus nequidem unica pro Gersene profecti possit. Atque in omnibus ferine ubicunque evulgatis Exemplaribus, quod ipsemet Cajetanus fatetur, tale quidpiam verbis istis animadvertitur. *Quamvis iste Libellus dicatur Joannis Gerson, Author tamen ipsius fuit Thomas de Kempis Canonicus Regularis.*

Qui ex adverso sunt omnem præsentiam horum librorum antiquitatem flocci faciunt; & suos Italicos, Suevicos, aliosque, Eruditorum judicio, Thomæ ævum excedentes, prætendunt. Quantum ad Codicem Augustanum Cajetanus figmenti arguit Bollandum, probatque ex litteris Domini Abbatis SS. Ulrici & Afræ in Civitate Augustana ad se scriptis 3<sup>va</sup> Julii 1644. quibus inserit. *Intelligo quod quidam Pater Jesuita Joannes Bollandus Flander successerit Patri Heriberto Rosvveido in propugnando Thomæ Kempensi, quodque nimis facile scripserit inveniri hic Augustæ in Conventu S. Crucis Canon. Regul. exemplar MS. sub nomine Thomæ Kempensis exaratum Anno 1440. hunc librum mox ego petii & penitus introspexi, & totum percurri: nec tamen invenire potui annum, in quo scriptus fuit, proinde verum non erit, quod scripsit ipse Bollandus.*

Impressa Exemplaria æquè parum morantur, ipsaque errorum postulant, quos contraxerunt ex prætensò prototypo erroribus scærente, proinde hoc nomine indigno. Dumque Sommalius asserit, se omnia bona fide ex authographo Kempensi restituisse, & Rosvveidus profiteatur se illius Editionæ centum pæne locis etroneam ad Authoris Chyographum emendasse, semetipsum oblique accusant, atque errata, omnia, solæcismos in authographo esse, Exemplaria edita convincunt; prout errata quædam, manca, solæcismos, lituras in eodem deprehenderunt viri perspicacissimi pariter & erudi-



filium in Aula Archi-Episcopi Parisiensis, hujus jussu congregati quemadmodum in publico instrumento Anno 1671. die 14<sup>ta</sup>. Augusti testati fuere. Impressorum proindeque Exemplarium copia vero non posse derogare Authori arbitratur Cajetanus, qui subdit. *Non possunt adversari rationibus, & documentis solidis Kempensi librum vendicare, sed faciunt eum per fame mendacia crescere repetitis multoties impressionibus.*

Negant quoque per hujusmodi impressiones possessionem probari, quam quidem Canonici Regulares coram Sacra Congregatione de propaganda fide allegarunt pro Thoma: sed antiquam, universalem & consentientem esse, viri omni exceptione majores inficiati sunt; & adversas Editiones exhibuerunt, Brixientem scilicet Anno 1485. Venetam & Mediolanensem Anno 1486. & 1488. sub nomine Joannis Gersonis, ob propinquitatem nominis Joannis Gersen, qui tunc Orbi non adeo notus, ut Cancellarius ille; sed vetustate temporis ferme obliteratus.

Hæc, ut suis haud quaquam destituta videntur ponderibus, elevare satagunt, qui Thomæ de Kempis Codicem manuscriptum allegant; quem quidem Anno 1441. scripsisse constat, quando agebat Annum 62. sed prototypum esse minime asserunt; quando quidem junior illud confecerit. Et quia nullum Exemplar incorruptum ab adversantibus, ajunt, productum, tam vetus, quia tunc temporis Thomas Kempensis foret quadragenario, vel etiam quinquagenario major (quidquid Sirmondus de conspecto à se in Claramontano Collegio Codice anonymo ex charactere opinatus fuerit) nullum causæ Thomisticae præjudicium inferri putant. Pro testimonio Bollandi verificando Werlinus in *Vindiciis Vindiciarum* duo instrumenta publica, Notarii jurati ab Episcopo Adramyteno, Vicario Augustano Generali, consignata subjungit. In primo attestatur, quod in Bibliotheca Reipub. August. servantur tres

antiqui Codices, duo manu scripti, & unus impressus, qui libros *de imitatione Christi* Thomæ Kempensi attribuit. Habentur ibidem libri quatuor & in calce eorum hæc verba. *Viri Egregii Thomæ Montis S. Agnetis in Trajecto Reg. Can. Libri de imitatione Christi numero quatuor sunt feliciter per Gntherum Zeiner ex Reutlingen progenitum literis impressi ahenis.* De quo Typographo constat ibidem, quod 1475. objerit. In altero verò testimonio publico Notariali expressè perhibetur, quod in Monasterio S. Crucis Augustæ Vindelicorum asserventur duo per vetustis Codices MSS. unus; qui exhibet libros quatuor *de imitatione Christi*, & in fine attribuitur Thomæ Kempensi. Alter absolutus 1440. absque tamen nomine Authoris; sed ab eo scriptus, qui priorem scripsit Codicem, quod periti testantur Antiquarii; & idem character, eademque abbreviandi methodus convincit. Et quoniam Codex hic absolutus est 1440. & ex utroque Codice Bollandus testimonium desumpserat, prudentissimè censuit præfatus Episcopus in publicis literis, Sigillo Officii sui confirmatis, quod is non sit arguendus de figmento ab iis, qui alterutrum Codicem tantum viderunt; ut non viderunt illi, quantumcunque magni Authores, à quibus se habere scribit Mezlerus in *Dedic. Librorum de Imit. Christi* eligiæ redditorum; quod is liber nec umbram ullius characteris numeralis ostendat.

Cætera denique Kempenistæ diluere volunt, quod Thomas Italis fuerit horum librorum Author à prima conscriptione: sed postquam sine nomine typis commendati fuere, opusculo Joannis Gersonis compacti; hujus putabantur, Germani intercesserunt, & verum Authorem indicarunt; quos deinde secuti sunt Itali, Galli & Hispani: nisi quod ab aliquibus Joannis Gersonis nomen nihilominus in calce legatur positum. Possessionem continuam, pacificam & universalem etiamnum pro Thoma adstruunt, ex qua

neque



neque per Joannem Gersonem; neque per Joannem de Canabaco erit constitutus, qui Abbas Vercellensis, Valgravio concedente, innoteſcere cœpit per Cajetanum An. 1616. aliàs orbi ignotus, & ut Werlinus ſcribit, homo nunquam, Abbas nuquam. *Utopia civis*

III. Si conferantur alia Opuscula, à Thomà Kempſi certò conſcripta, cum his libris de Imitatione Chriſti, ſtyli ſimilitudo, unus idemque tenor perſuadet & hos ab illo eſſe indubiè compoſitos; quam ſimilitudinem Bellarminus agnovit, & ob eandem, Opus, quod tunc Gerſonis putabat, tributum Thomæ obſervat. Non roſa roſam magis reſolet, juxta Roſveidum, quam Liber de Imitatione Chriſti ſimilis eſt reliquis Thomæ à Kempſi ſcriptionibus. Utrobique deprehenditur ſimplicitas compoſitionis, abeſt oſtentatio ſtudii aut multæ lectionis, accuratio Grammaticæ, elegantia Rhetoricæ, methodus dialectica, reperitur laconiſmus, dictio brevis, ſuccincta atque incifa. Correſpondentium ſchema eſto

*De Imitatione Chriſti*

L. 1. c. 1. *Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate unde &c.*

Conſonat P. 2. *Serm. 14. ad Novit. Quid prodeſt altus ſtatus ſine humilitate.*

Ibidem. *De Imitatione Chriſti. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum & illi ſoli ſervire.*

Conſonat manuale parvul. c. 7. *Omnia prætereunt præter amare Deum & juſtè vivere.*

Ibidem cap. 9. *Valde magnum eſt in obedientia ſtare, ſub Pralato vivere & ſui juris non eſſe.*

Manuale c. 9. *Verè magna ſecuritas conſcientiæ & jucunditas cordis ſtare in ſubjectione & obedientia.*

Ibidem cap. 11. *Si non vincis parva & levia, quando ſuperabis difficiliora?*

Conſonat Hort. Ros. cap. 15. *Si non potes parva vincere, non poteris graviora ſuperare.*

Item de *Recognit. prop. fragilit. cap. 6. Qui ſeipſum non vincit in parvis, quando majora ſuperabit?*

Ibidem cap. 12. *Valde vilis quandoque res eſt unde gravis tentatio provenit.*

Conſonat Hort. Ros. loc. cit. *Sæpe valde parva res eſt, unde homo graviter tentatur.*

Ibid. cap. 15. *Sæpe videtur eſſe charitas, & magis eſt carnalitas.*

Conſonat de *Diſcipl. Clauſt. Sæpe putatur eſſe charitas & magis eſt carnalitas.*

Ibid. cap. 17. *Habitus & tonsura modicum conferunt: ſed mutatio morum.*

Conſonat Val. Lil. *Habitus exterius parum valet ſine interiore virtute coram Deo.*

Eadem conſonantia in aliis quamplurimis locis obſervare eſt; adeoque propugnatorum arbitrio nec ovum ovo, nec lac lacti videtur ſimilius, quàm hæ vocum expreſſiones, phraſes ſeu pericopæ.

Nihilò ſeciùs Conſtantinus Cajetanus ſe non tantùm ſubodorari: ſed pleno olfactu diſcernere proſitetur diverſitatem ſtyli, quam mecum, (inquit) omnes qui libellum legerint, fatebuntur. *Stylus hujus Libri, quem vocamus Gerſonem, totus eſt ſententioſus, & more cœleſtium aphoriſmatum pauciſſimis verbis magna dicit, intellectum convincit, movet voluntatem, nec multum excurrens accendit affectum ad omnem virtutem. E contra Thomàs à Kempſi, tametiſi in ſuis operibus imitari voluit Gerſonem incifo modo loquendi, in diſcurſu tamen languidus eſt: ſpirat quidem devotionem, non tamen habet divinam illam vim adferendi corda, quæ in Gerſone invenitur. Hæc ille. Qui deinceps narrat, ſibi quendam è Societate JESU magni nominis Theologum dixiſſe, quod, cum ab ipſo Novitiatu ſe totum dediſſet lectioni & meditationi Librorum Joannis Gerſonis, & operum Thomæ à Kempſi, motus hac ſtyli diverſitate, quem in re probaverat, ſemper exiſtimaverit Thomam à Kempſi non fuiſſe authorem libelli de Imitatione*



tionem Christi. Observat insuper Abbas ille, Authorem Librorum de Imitatione Christi meris verbis suis orationem contexere, quamquam ex medulla Sacrae Scripturae & Ss. Patrum: Thomae verò tam initio cuiusvis capituli, quam in contextu referre integras sententias ex Scriptura Sacra & Ss. Patribus.

Erunt fortè alii, qui argumentum ex similitudine styli desumptum stringere negabunt, quod Thomas in priorum Librorum lectione & horum potissimum assiduus facillè potuerit assequi eundem alicubi stylum & scribendi methodum, ut plerumque fieri amat, quod quis familiarem sibi authorem in scriptione imitetur. Quare Thomas à Kempis ex horum sedula lectione Librorum, eorumque frequenti descriptione, aliquas dictiones suis quoque opusculis inseruisse videtur, & inscriptiones Capitulorum à se compositorum mutuasse ex libris de Imitatione Christi. Quo pariter ruit illud, quod is saepenumero utatur exclamationibus. *O Si*, quod frequenter proponat suis periodis *O quanta*, *o Domine*, *o Frater* &c. &c. quod in narratione ducat semper initium ab eiusmodi vocabulo. *Quidam* &c. &c.

Hec, ut Kempenitis in vanum dicta videbuntur ab iis, qui aut sunt obesa naris, aut odoratum insectum habent: ita alii non prorsus aberrant, dum censent, ex styli similitudine aut diversitate argumentum minus solidum & valde incertum sumi de authore alicujus scripti: id, quod ex eorum hallucinatione frequenter apparet, qui illi innixi iudicium de Scriptoribus ferunt.

III. Idiotismus Germanicus seu locutiones Barbaricae ex sola lingua Germanica derivatae, quaeque Teutonicam phraseologiam planè redolent, produnt Authorem Librorum de Imitatione Christi Germanum: cumque de alio non sit Controversia, Thomas Kemp. Author censeri debet. Teutonismus est. *Si scires totam biblitem exterius auferendis De*

*se ipso nihil tenere* Nichts halten. *Legere Libros alios* hobe Bücher. *In moriendo solum jacet.* am Sterben liegt alles in. Alios plures exhibent Sommalius, Rosveidus, Werlinus, quales etiam in aliis Thomae Opusculis observantur, quorum aliqui Flandrisinum sapiunt, quod Thomas potissimum in Flandro-Belgico territorio vixerit. Nil certius est, scribit recentissimus Historicus Lutheranus in sua *Introductione Sac. XV. §. 2.* ex manifestis libelli Germanicis, quos disputatores illi non intellexerunt, non alium, quam Germanum Authorem habuisse: ex qua gente tamen nemini unquam, nisi Kempisio assignatus est.

Nihilò secius Cajetano (praeterquam quod *Exterius* primò citatum in Exemplaribus Aronensi, Gavensi & Claromontano non extet) eadem locutiones ferè omnes videntur tam Italismi, quam Flandrisini: atque ex iis Authorem in finibus Germaniae scribentem aequè Italum ac Flandrum probari putant alii. An bene, norunt ii, qui utriusque linguae energias probe callent. Mezlerus demum contendit se pari argutia Suevisinos ex his opusculis elicere posse. Quid ergo praesidium ex dialecto utrimque sperandum, remotis paulisper praedictis opinionibus, haud difficulter dignoscitur!

IV. Plurimorum Scriptorum, qui Thomae coaetanei fuerunt, testimonio irrefragabili evincitur, eundem esse verum Authorem *Lib. de Imit. Chr.* Hos inter Scriptores praecipuus est Joannes Buschius, Can. Regul. Praepositus in Sulta, aetate suo celebratissimus, in Chronico, finito 1464. quod Rosveidus illo tempore sine interpolatione scriptum, aliaque in Belgio extare exemplaria huiusmodi asseverat. In eodem sic legitur. *Duo fratres notabiles :::: quorum unus Fr. Thomas de Kempis plures devotos libros composuit, videlicet. Qui sequitur me. De Imitatione Christi cum aliis.* Quid validius illo? Neque interioris loci censendus Author anonymus  
viii



vita Thomæ Kempensis, qui testatur, se ea, quæ scribit, audivisse à Fratribus illius Conventus, in quo Thomas vixit; qui, ut ille ait, adhuc vivebant. Hic Catalogum omnium Operum à Thoma Kempensi scriptorum contexit: in quo num. 5. notatur. *Libellus sententiarum & verborum humilis JESU*, aliàs vocatus *De Imitatione Christi*. scilicet, *Qui sequitur me*. Audiendus quoque Joannes Mauburnus Canonicus Regularis Thomæ contubernalis, qui de celebratione Missæ §. 3. scribit. *Monet devotus noster Thomas Kempis. Non sis in celebrando nimis prolixus seu festivus. Et Lib. 4. cap. 10. idem in Scala communionis. Hinc juxta nostrum Thomam de Kempis tam proparationis incurri sumus; quia non satis quid acturi sumus, cogitamus.* Atqui hæc leguntur in *Lib. 4. de Imit. Christi*. Citat quoque Thomam Kempensem librorum de *Imit. Christi* Authorem Joannes de Keisersberg, natione Teutonicus, qui illo tempore floruit in *Navic. Fatuor.* ubi ait. *Hæc deduc ad placitum ex Kempis de natura & gratia differentia in Libro de Imit. Christi Lib. 3. cap. 54. & 55.* Eodem pariter tempore opera sua evulgavit Petrus Scot Argentoratensis Canonicus S. Petri; scripsitque Librum de Laudibus Joan. Gersonis; in quo leguntur sequentia. *Inter opera Gersonis, licet nonnulla sint, quæ ipsius non esse verisimilius sit: tamen quia author alius non patebat, loco suo perstiterunt. Alii autem tractatus, qui sibi nonnunquam tribuuntur: sed tamen authorem certum habent, ut est libellus de contemptu mundi, quem constat à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alii, non sunt operibus suis inserti.*

Non derogasset Gersoni ejus Encomiastes libellum hunc, quo illi magna pars laudis obvulsisset: nisi certò persuasum habuisset, quod constare assèrit, Thomam illum composuisse. Idem suo confirmat calarao Jacobus Philippus Foresta Pergomenis ex Ordine Herm. Eremitarum S. Augustini, qui in

sine sæculi XV. scripsit Volumeni grande & insigne, quod multo & diuturno labore ex diversis Authoribus comportans. prenotavit *Supplementum Chronicorum.* ubi ad Annum Christi 1406. perhibet. *Thomas natione Teutonicus Ordinis Canonicorum Divi Augustini, vir in divinis Scripturis admodum studiosus atque eruditus, vita & conversatione valde insignis hac tempestate clarus existens scripsit subjecta opuscula. Et primo de contemptu mundi Libros quatuor. Qui sequitur me &c.*

Aliorum etiam recentiorum Authorum in variis Regionibus tunc scribentium ingens est numerus, qui in causa hæc pro Thoma testificantur. Centum septuaginta agglomerat Amort loc. cit. part. 6. quibus aliis plures adungi possent. Multi horum in suis Elucidationibus Thomam Kempensem tanquam indubitatum Authorem horum citant Librorum: nonnulli, citra partium studium, facta discussione, deprehendisse profitentur Thomam eisdem elaborasse libros. Agmen claudat magni nominis Concionator, scriptisque celeberrimus Theologus Ludovicus Granatenfis, qui in Prologo editorum Librorum ita scribit. *Quamquam minus curandum est de authore, qui loquitur, quam de us qui loquitur; bonum est tamen, ut noris scriptorem hujusce libri non fuisse Joannem Gerson, prout hactenus quidem habuit nomen & titulum: sed Dominum Thomam de Kempis Canonicum Regularem S. Augustini.*

Accedit Cardinalis Bellarminus, qui quidem olim contra senserat; & aliàs suum hæc de re judicium suspenderit. At in secunda Editione palinodiam cecinit hunc in modum. *Scriptos & compositos esse ab eodem Thoma quatuor Libros de Imitatione Christi, contrarius conjecturis eversis, demonstrat evidenter in Vindiciis Kempensibus Pater Heribertus Rosoveidus, cuius mihi & rationes plenissime satisfecerunt, & sententiam penitus amplector. Meretur quoque hic audiri ex Ordine*



ne Prædicatorum Historicus diligentissimus  
Abraham Bzovius, qui *Annalium* tom. 18.  
ad Annum Christi 1471. num. 20. de Tho-  
ma Kempensi refert. Scripsit inter alia qua-  
tuor libros vere aureos de imitatione Christi.  
Aliqui Divo Bernardo, alii Joanni Gersoni;  
Constantinus vero Cajetanus monachus Joannem  
cuidam à Gessen Benedictino conatus est  
libellum vindicare. Cæterum Heribertus  
Rolvveidus, è Soc. JESU, scriptis vindicatis,  
ac Paulo V. Pont. Max. inscriptis, Thomam  
Kempensi opusculum aureum asserit, invin-  
cibilibusque argumentis demonstravit, neque  
Gersonis, aut Gessenis; sed Kempensis partum  
genuinum esse. Atque hæc ita certa visa sunt  
illustriissimo Spondano, ut tom. 2. contin.  
*Annal. Baronii* ad annum citatum, Thomam  
emortualem, scribere audeat. Inutili labo-  
re fatigantur sese qui prædictum commenta-  
rium de *Imitat. Chr.* alicui alii, quam ipsissi-  
mo ipsi Thomam adscribere volvere.

Hos ergo aliosque Articos testes, qui Tho-  
mam viderunt; eoque vivente scripserunt,  
ejus exemplaria manibus tractarunt; aut  
post illius fata hanc Controvertiam seridè  
multamque examinârunt, priusquam suum  
interposuerint iudicium, nemo sine in-  
signi temeritate rejicere poterit: præsertim  
cum opinionis tam communis possessio, su-  
per illius adhuc Thomam, absque ulla contra-  
dictione, inchoata in mente priorum, nec  
non per argumenta convincentia in intel-  
lectu posteriorum Scriptorum conservata,  
Libro quæstionis omnino faveat: sic ut mul-  
tis res paradoxa videatur, quod novissimis  
temporibus viri quidam religiosi plures faci-  
ant Ordinis sui gloriam, quam veritatem, &  
falsam quærunt, qui sinceræ atque indubi-  
tate sunt ditissimi.

Næque tamen hæc obmutescere faciunt  
Gersenistas, qui autoritates obstantes re-  
fundere nituntur autoritate Cardinalis Ba-  
ronii, qui tom. 12. *Annal. ad Annum Chr.*  
1125. proficitur. *Non numero Historicorum*

veritatem Historia consuevimus asserere,  
sed quanta fide polleat primus Autor cuiusli-  
bet asseritio: nam reliquos primum sequi  
authorem & ejus vestigis inherere frequen-  
tiori usu in more positum videmus. Proinde  
Scriptores, esto synchronos, parum mo-  
rantur; quia non semper artici testes repu-  
tandi. Id enim Eminentiissimus Annalium  
Parens observat tom. 8. ad An. Christi 604.  
scribens. In his, qua ad rerum gestarum  
veritatem spectant, quam frequenter accidat  
falli etiam prudentissimos; non in antiquis  
tantummodo; sed & in his, qua facta dicun-  
tur in eodem loco, quo ipsi sunt; & quo vi-  
vunt tempore usus docet. Atque illud Joanni  
Buschio obvenisse volunt; qui suæ credulita-  
ti indulgens deceptus est, ac sparsa apud  
suos famam manifestè delusus Thomam par-  
tum non suum supposuit; quique, ut Mezle-  
rus loc. cit. obtendit. quo largiorem sibi, ut  
publicis functo officis, imo cæliis, ut vide-  
ri voluit, illustrato poscit assensum, eo fluxio-  
rem impetrat fidem. præsertim dum de fra-  
tribus, qui ambo essent notabiles, altero  
notabili silentio preffo, alium affectatis, &  
extra rei propositum effusis verbis deprædi-  
cat; & haud nominatis pluribus à Thomam  
compositis Libris egregiis, solius Libri de  
imitatione Christi meminit, de quo non ea  
tunc fama, ut sic mereretur parergè lauda-  
ri. Sunt, qui locum Buschii interpolatum  
autument per illa verba, scilicet. *Qui sequi-  
tur mo.* Cum Thomam, ut ipse Rolvveidus  
fatetur, Librum nec sic inscripserit, nec in  
mentem venerit, ut sic inscriberet; sed Li-  
bri primi titulum esse voluerit: *Admonitio-  
nes ad spiritualem vitam utiles.*

Author anonymus, Gersenistarum arbi-  
trio, eadem, qua Buschius alitque in devia  
actus famam, qua Thomam Libelli Authorem  
falsò pervulgaverat. Cumque ea se scribere  
profiteatur, qua ab aliis acceperat: ut his o-  
culi, sic illi aures in errore duces fuerunt, &  
ut hos subscriptio Kempensis aurographi,  
ita



ita falsus illum delatus rumor decepit, quo pariter inductus fuit Cornelius à Lapide, quando in *cap. 24. Genes.* scribit se Antverpiæ, ubi tunc morabatur, authographum illud vidisse, quod foci ibidem reservari promulgant. Cæteris Citatis (ajunt PP. Benedictini,) accidit Scriptoribus, quod plerisque Historicis & Nomenclatoribus; ut, quod quispiam commentus est, cæteri minus caute, sine delectu, exscribant. Agmen autem numerosum Recentiorum minimè reformidant, gnari illius Jambici. *Non stat, sedruit, iudicio qui stat multitudinis.* Arque ut in prælio campæstri seu navali, Ennodio rectè observante *panegy: Theod. cap. 10.* non spes victoriæ venit de numero: sic neque in conflictu Litterario. Recentioribus permittitur sua sentiendi libertas, aliis viris, etiam sanctis, aliter opinantibus. Interini Bellarmino sapientissimo Cardinali falsò palinodiam affingi contendit Cajetanus, cujus proinde nequaquam meminit Rosveidus in altera Editione Vindiciarum cum Chronico Windesheimensi Anno 1621. Sed neque in ipso libello retractationum, quem Cardinalis paulò ante mortem confecisse scribit Jacobus Fuligatus in *vita Lib. 6. cap. 4.* prima Bellarmini censura retractata legitur. Illud autem quod W. rlinus perhibet, se accepisse ab amico suo de Societate JESU, viro docto, Bellarmino familiari, hanc palinodiam ipsum viva voce pronuntiasse; quam alii excipientes in secundam Editionem *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & fortè etiam in retractationes retulerunt nullo imposturæ crimine, totum rejicit Cajetanus; atque aliter rem se habere probat testimoniis clarissimorum virorum Joan. Baptistæ Confalonerii & Laurentii Rossi, quibus ipse Eminentissimus retulit, paulò ante mortem duos Thomæ Kempensis propugnatores sibi adfuisse, urgentes, ut sententiam pro Gerseno refingeret, quibus ille respondisset, se olim scripsisse, quod veritati existimaverat consentaneum; subjunxisseque.

*Permitte illi me requiei quam totus suspiro: jam cælum ego, non lites meditor. libellus, cujusvis demum sit, optimus est.* Cumque illi instantius urgerent *Ita, dixit: Facite quod vultis.* Sed deest ultroquè Bellarminum aliquando revocasse priorem sententiam: respondet Cajetanus, *Ut Bernardus, ita Bellarminus omnia non vidit: neque ed pervenit eminentia & auctoritatis, ut regula haberi possit & debeat fidei, seu divinis seu humane; illiusque unius auctoritate: quidquid est in Historia veritatis stet aut cadat. . . . & nos qui magnum plane virum fatemur Bellarminum, cum majore tamen Augustino existimamus Epist. ad Fortunatum: nullum authorem tanta veritatis esse & auctoritatis, à quo nequeat dissentiri, nisi idoneis argumentis veritatem adstruat, quam producit.*

Ludovico Granatenfi, ac Abrahamo Bzovio conceditur, ut quisquis in suo sensu abundet, quem concepit ex Chronici Buschiani lectione, Bergomentis alteriusve similis relatione, *Spondani verba* (ait Cajetanus *apoc. lyp. cap. 12.*) potius ad eundem ipsum retorquere deberent: cum revera is inutili labore fatigaverit sese: dum tres tomos *Annalium* totidem fere verbis exscripserit ex *Annalibus Magistri Fratris Abrahami Bzovii de Sacro Prædicatorum Ordine viri eruditissimi.*

Cæterum quæ Kempensitæ pro Thomæ petunt argumenta ex notis temporum ac locorum aliisve observationibus, seu rerum circumstantiis, V. G. quod Author *Librorum de imitatione Christi* meminerit *devotorum* in Congregatione, ita peculiariter nominatorum; quod suo tempore passim introducta fuerit consuetudo Philosophiæ ac Theologiæ contentiosa; ususque questionum subtilium: quod in exempla perfectæ observantiæ regularis Ordines Cisterciensem & Carthusianum; non Prædicatorum seu Minorum adducti fuerint &c. &c. quæ omnia sæculo Gerseni non videntur aptari



aptari posse: hæc inquam, ut suo non videntur destituta pondere; alii tamen simpularia dicunt; aut sua, quæ depromunt, volunt momenti non levioris esse. Atque sic

*Illi alternantes multa vi praelia miscent*

qui inquirunt pacem & persequuntur eam, de Authore libelli, in quo legunt *Non querat quis hæc dicat: sed quid dicatur attende.* Interim, non quod est necesse; sed quod non necesse queritur: quodque per tot annorum spatium fuit in quæstione, quæ mundum implevit, necdum decidi potuit; imo post tot libellos criticos, tractatus polemicos, res magis ambigua & implicata manet; adeo verum est illud Romani Consulis Symmachi *Lib. 10. Epist. 32. Difficilis est exitus veterum iurgiorum. Res enim multis agitata iudicis & actionum varietate, & cognoscentium motu, & personarum mutationibus implicatur.* Dumque in Litterario hoc prælio diuturno nemo vult pedem referte, aut digitum tollere

*dubius modius Mars errat in armis*

Quod ipsum Eruditi Lipsienses, Du Pin, aliique in arte critica exercitatissimi moder-

ni quidam agnovère: qui quamvis pro alterutra parte explicitè pronuntiare noluerint: quorsum tamen victoria vergat, solertis erit dignoscere. Quicumque verò sit horum Lector, admittere debet hanc Salviani protafin. *Præf. in Lib. 1. de avarit,*

*Sed requiret forsã aliquis quis author sit. Potest hoc quidem queri, & recte queritur, si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire: ceterum si infructuosa est; quid necesse est, ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio. In omni enim volumine profectus magis queritur lectoris quam nomen authoris.*

F I N I S.